# EMBLEMATA IN CICERONIS ORATIONE II IN ANTONIUM.

Multa nos in Ciceronis orationibus etiamnunc ludificantur sciolorum emblemata et additamenta, quibus olim Codices omnes inquinati fuerunt. Pauca quaedam de genere hoc indicare iuvat, quibus mihi secunda in Antonium oratio interpolata esse videtur.

Editur XXII. 55: *Ut Helena Troianis, sic iste huic reip.* [causa belli] *causa pestis atque exitii fuit.* Insiticia sunt verba *causa belli. Bellum* et *exitium* in ea re frigide et inepte componuntur, nam necessario qui *exitii* causa fuit, idem *belli* causa, quod exitium attulit, debuit fuisse: itaque quod unum atque idem est, nunc recepto scioli additamento ita ponitur quasi duo diversa forent.

In cap. XXV. § 62. *Accessit ut Caesare ignaro* [quum esset ille Alexandriae] *beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur.* Lectoris annotatio est, quae ex ora libri in textum irrepsit *quum esset ille Alexandriae.* Nil facit ad rem ubi locorum tum Caesar fuerit quum Antonius illo ignaro magister equitum constitueretur. Satis erat scire Caesarem illius rei ignarum fuisse. Nemo eorum, quibus haec scripta sunt, ullo modo ignorare poterat Caesarem illo tempore in Aegypto fuisse, ut puerile sit de ea re sic eos admoneri. Sciolus suum emblema sumsit ex iis quae post pauca sequuntur in § 64. *Caesar Alexandria se recepit.*

In cap. XXVII. § 67. editur: *Quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quae, si fuit, fuit animal unum: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas* [tam distantibus in locis positas], *tam cito absorbere potuisse.* In his, ut paucis absolvam, verba *tam distantibus in locis positas* a sciolo interpolata sunt ut interpretaretur quid esset *tam dissipatas*, nisi forte Cicero scripsit *tam dissitas*, quod est illud ipsum *tam distantibus in locis positas.*

C. G. Cobet.